DISSERTATIO JURIDICA
DE
AMORE,

QVAM

In Illuſtri

Academia Haſſo-Schaumburgica,

Ad diem 12. Mart.

An. M DCC XII.

Publico Eruditorum examini ſubmittent

PRÆSES

HENR. ERNEST. KESTNER,

JC. & PP.

ET RESP.

JOHANN. CHRIST. CASIMIR,

Rintelenſis.

RINTELII,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr. 1712.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

SECTIO I.
De Amore in genere.

§. I.

Amor eſt fundamentum totius doctrinæ moralis.

QVi amorem fontem, vinculum, atqve fundamentum totius vitæ ſocialis, totiusqve doctrinæ moralis, dicunt, non iniqve dicunt. Imo ipſe Chriſtianiſmus in amore, merito Chriſti innixo, conſiſtit. Deum enim ſuper omnia, proximum ſicut nos ipſos diligere, & cum tremore ſalutem æternam operari debemus. Atqve hanc reſponſionem Chriſtus apud *Matth. XXII. 36.* legis perito, qvalis eſſet lex ſumma & fundamentalis, ex qva reliqvæ omnes ſuam deducerent ſubſiſtentiam, interroganti? dabat, diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex omnibus viribus tuis, & proximum, ſicut te ipſum: illuſtrat hoc *Paulus Gal. XIV.* Omnes, inqviens, leges hoc uno verbo implentur: Ama proximum, ſicut te ipſum. Plenius id commonſtrat in *Epiſt. ad Rom. XIII. 9. & Jac. II. 8.* Ubi hoc præceptum regium, id eſt primarium & fundamentale, dicitur. Qvid vero eſt amare ſe ipſum aliud, qvam qværere ſecuritatem & qvietem, tum ſui ipſius, tum aliorum. Sicut enim qvilibet ſibi ipſi carus, ita & alterum ſibi æqve carum habere debet, *vid. Dn. Hert. diſſ. de Societ. ſect. 2. c. 10.* Ipſi hoc ipſum Ethnici probè, magnaqve

Digitized by Google

cum ſolicitudine agnoverunt. Optime ait *Florentinus in l.3. ff. de J. & J.* Naturam inter nos conſtituiſſe cognationem qvandam, & hujus conſeqvens eſſe, hominem homini inſidiari, nefas eſſe. Qvid autem eſt iſta cognatio aliud, qvam vinculum illud commune inter omnes homines, qvo colligati ſunt à Deo ad pacem colendam: nam vinculi & cognationis hujus natura eſt, ut adſit inter omnes unio qvædam, ſcilicet voluntatum, & ſic amor recte dicitur a *Paulo* vinculum pacis. *Camillus* apud *Livium lib.5. c.27.* Societatem hoc vinculum nominare non veretur, ajens: Nobis cum Faliſcis, qvæ pacto fit humano, ſocietas non eſt, qvam ingeneravit natura utrisqve, eſt eritqve. *Marcus Aurelius Anton. lib.3. de Reb. ſuis* §.4. Id confirmat, inqviens: meminit cognatum rationale eſſe omne, & naturæ rationem ab unoqvoqve exigere, ut hominum qvorumvis curam habeat. Sic idem *lib.3. §.4.* Paſſim dicit, orbem eſſe inſtar civitatis, in qva homines tanqvam cives inter ſe ſunt conjuncti, ait enim: homines agere cives civitatis ſupremæ illius, cujus reliqvæ civitates qvaſi familiæ exiſtant: & porro, mundum civitatis inſtar obtinere. Civitas & patria mihi, ut homini, mundus. Idem nervoſe exprimit *Seneca in epiſt.* 7. ſeqventibus verbis. Omne hoc, qvod vides, qvo divina & humana concluſa ſunt, membra ſumus corporis magni: natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, & in eadem gigneret. Hæc amorem nobis indidit mutuum, & ſociabiles fecit: Illa æqvum juſtumqve compoſuit, ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, qvam lædi, ex illius Imperio paratæ ſunt ad juvandum manus. Platonicos in eandem conſpiraſſe ſententiam, teſtis eſt *Cicero lib.1. Acad. quæſt. p.m.9. lit. a.* Hominem eſſe, cenſentes, qvaſi partem qvandam civitatis & univerſi generis humani, eumqve eſſe conjunctum cum hominibus humana qvadam ſocietate: *Conf. Celeberr. Dn. Bohmer introd. in Jus Publ. Univerſale cap.1. §.31.*

§. II.

Digitized by Google

§. II. Qvod ſi adeo purus atqve caſtus iſtiusmodi amor, ceu arctisſimus totius humani generis nexus inter mortales, ad omne proh dolor! malum propendentes, ſervaretur, uti prælucente, & invocato Divini Numinis & nominis auxilio & gratia, agnita ſubinde miſeria & imperfectione virium naturalium, obſervatoqve, qvod cordibus noſtris inhæret, juris principio. Quod Tibi non vis fieri, alteri ne feceris: ſervari poſſet, nec judices nec judicia, nec lites nec litigia haberemus; Hæc enim illibata amoris vincula reſpuunt, abhorrent, expellunt. Sic virtutis & amoris amore, conjux conjugem, liberi Parentes, hi liberos, ſervi Dominos, civis concivem, omnes invicem amarent, alterque alterum amore vinceret, dum principium iſtud decori, ex amore ſubortum. Quod Tibi vis fieri, alteri feceris, lætiſſima amoris ſemina mortalium animis inſinuaret. Neque quæſtio aliqua de meo & tuo incidere poterat, dum ſpatioſiſſima terra alendo generi humano ſufficiat, &, qui vero amoris ſenſu tangitur, ſuis rebus, utut anguſtis, contentus, alterius neceſſitati ſubvenire paratiſſimus foret. Neque Imperia, neque Magiſtratus ullus erat neceſſarius, hic enim ad tuendam inter mortales tranquillitatem & pacem a Deo conſtitutus, imperio autem non eſt opus, ubi nec injuria, nec læſio deprehenditur. Nam ob callidos & improbos homines exorta ſunt imperia, per ſe cæteroquin ſancta & inviolabilia.

Felicitas generis humani in amore conſiſtit.

§. III. Quo autem purior atque ſanctior inter homines eſſe debebat amor, cordibus atque animis noſtris implantatus, eò magis demirandum, quin deteſtandum, nihil minus quam amorem & amoris vincula inter homines deprehendi. Rara hæc avis in terris, nigroque ſimillima cygno. Nam, quamvis homo eximium quidem ſit animans, multòque longius diſtans à cæteris omnibus, quam cæterorum genera inter ſe diſtant: Unde ob rationem, velut incomparabilem divinumque theſaurum, veteribus machinamentum naturæ confidentiſſimæ, & modo nexus Dei & mundi, modo

Status generis humani eſt maxime corruptus.

Digitized by Google

rerum materialium & immaterialium horizon, modo inter omnia animalia miraculum divinum audit. *Conf. Dn. Præſ. in Jur. Nat. cap.* 1. §. 1. Iſthoc tamen, uti recte dijudicat *Pufendorffius de Offic. Hom. & Civ. lib.* 1. *cap.* 3. §. 4. *ſeqq.* Tam utile invicem animal non paucis laborat vitiis, & non minore nocendi facultate præditum eſt, qvæ conjunctionem cum ipſo reddunt ſatis ancipitem, magnamqve reqvirunt cautionem, ne pro bono malum qvis ab illo ſortiatur. Jam primum major fere ad nocendum procivitas in homine, qvam in qvovis brutorum deprehenditur. Nam bruta fere cibi deſiderio & veneris efferantur, qvorum utriqve tamen facili negotio ipſa ſatisfacere poſſunt. Et, eo deſiderio ſopito, non temere in iras, aut ad lædendum alios concitantur, niſi qvis irritaverit. Aſt homo animal eſt nullo non tempore in libidinem paratum, cujus ſtimulis longe freqventius vellicatur, qvam conſervandæ ſpeciei neceſſarium videbatur. Ejusdem qvoqve venter non ſatiari duntaxat, ſed & titillari vult, & ſæpe plura appetit, qvam natura digerere valet. Veſtibus ne indigerent bruta, natura proſpexit, aſt homo non ad neceſſitatem tantum, ſed ad oſtentationem veſtiri gaudet. Multi præterea affectus atqve cupidines, brutis ignoti, in mortalium genere deprehenduntur: ſuperflua habendi libido, avaritia, gloriæ, & alios eminendi cupiditas, invidia, æmulatio, ingeniorumqve contentio: indicio eſt, qvod pleraqve bella, qvibus genus mortalium colliditur, ob cauſas gerantur brutis ignotas. Atqve iſta omnia ſimulare homines poſſunt & ſolent, ut ſibi mutuo nocere velint. Accedit in multis eximia qvædam petulantia, & aliis inſultandi libido, qvibus cæteri, etiam modeſto ingenio præditi, ſtudio ſe ac libertatem conſervandi ac tuendi, non poſſunt non offendi, ac ad reſiſtendum accingi. Qvandoqve etiam homines ad mutuas læſiones invitat inopia, &, qvod præſens rerum copia cupiditatibus aut indigentiæ eorum non ſufficiat. Sed & maxima vis ineſt hominibus ad noxas mutuo in-

inferendas. Nam, etſi neqve dentibus, neqve unguibus, aut cornibus ſint formidabiles, ut multa brutorum: tamen habilitas manus in efficacisſimum nocendi inſtrumentum evaleſcere poteſt, & ſolertia ingenii, aſtu & per inſidias graſſandi facultatem dat, qva aperta vi pertingere non licet. Sic ut facillimum ſit, hominem homini gravisſimum malorum naturalium, nempe mortem, inferre.

§. IV. Ex qvibus, fuſius qvodammodo ex Puſendorffio demonſtratis, oppido liqvet, ſtatum generis humani, rupto & penitus confracto amoris vinculo, & ubi homo homini non Deus, ſed plerumque diabolus exiſtit, miſerrimum, & omni malorum genere obrutum eſſe. Quin vix ullum Reipubl. ordinem & ſtationem deprehendes, ubi non odia, ſimultates longe lateque imperant, & infeliciſſimum hoc malorum ſemen infeliciter ſpargunt: Non hoſpes ab hoſpite tutus, nec in conjugiis, nec in aliis ſocietatibus aut corporibus fidum offendimus conſortium, quin potius, ubi quæſtio de meo & tuo exſurgit, aut ambitioſi & voluptuoſi affectus irritantur, omnis vox & vis amoris exulat. Nec alium ob finem tam injuſtisſima ſæpius bella ſuſcipiuntur, qvam ut Ambitioſi & Avari Imperantes paſſiones ſuas prædominantes expleant, qvorum terror & vulnus immenſum ceſſaret, ſi amor purus regnaret. Illud cumprimis dolendum, qvod, qvi veri amoris fundamenta docere, & exemplo ſuo exprimere debebant, nihil minus, qvam amorem in actionibus ſuis oſtendant, cum tamen inania iſtiusmodi litigia, qvibus multi ſua conſpurcant negotia, in vanum erumpant pruritum: Lis eſt communiter de paupere regno. Turpe eſt Doctori, cum culpa redarguit ipſum. Hinc graviter peccant, & communia tranqvillitatis munimenta diſſolvunt, qvi vel proximo inſidias ſtruunt, vel ipſum diris & putidis calumniis proſcindunt. Debebant mortales momentum mortis conſiderare (cujus qvotidiana & freqventisſima meditatio maxima philoſophia eſt) qvamqve exiguis vita noſtra incluſa

Qvod ulterius demonſtratur.

ſit

Digitized by Google

ſit terminis, qvæ adeo glorioſis & proficuis, non impiis aut abſurdis transigi debet actionibus. Mors ultima rerum linea: vivimus, ut moriamur, morimur, ut vivamus. Neceſſe eſt, ut cum Davide in *Pſ. XC.* 12. qvotidie exclamemus: Numerare dies noſtros ita doce nos, ut inducamus animum ſapientem.

An genus humanum magis ad pacem ac bellum inclinet?

§. V. Cum igitur, qvotidianâ teſte experientia, tam corruptus tamqve deſperatus generis humani ſit ſtatus, ardua ſeculi & noſtri & ſuperioris JCtos divexat qvæſtio, an genus humanum magis ad pacem ſeu amorem, an bellum inclinet? Eqvidem ſummi præſtantiſſimiqve rerum moralium reſtauratores, *Grotius* & *Hobbeſius*, e diametro qvaſi ſibi contrariari videntur, illo pro pace, hoc pro bello militante, ille in ſocietatis, qvæ pacem & amorem appetit, cuſtodia, hic in mutuo metu præſidium quærit. Uterque non minimos ſententiæ ſuæ patronos adinvenit, neuter tamen rem omnem exhaurit. Quærunt & anhelant mortales, ſi non omnes, tamen multi, pacem & amorem. Quærunt viciſſim, & omni conatu affectant plures, ambitioni & avaritiæ deditiſſimi, bellum tum privatum tum publicum. Imo & ipſi pacati, quam pacati etiam ſint, præſidium ſibi contra malevolos, communia ſocietatis humanæ vincula diſſolventes, & illibata tranquillitatis munimenta perrumpentes, quærere debebant. Paucis, genus humanum quidem ad pacem & amorem, magis tamen ad bellum inclinat; & ſic ingentem heic deprehendimus mixturam, ubi malitia hominum, ex corrupto lapſoque hominis ſtatu & peccato originis proveniens, communiter imperare, & ubicunque vires ſuas exerere ſolet, indeque principium Hobbeſianum, a mutuo metu deſumtum, frequentiſſimum quidem, ſed univerſale non eſt: Qua enim fronte dicitur: Homo homini diabolus, eâdem fronte, cæteris paribus, regeri poteſt, homo homini exiſtit Deus, utilitatem tum propriam tum proximi qvæſiturus. Illud pariter Hobbeſianum dogma, qvando jus omnium in omnia ſtatuit, me-

Digitized by Google

meram contradictionem involvit. Dum enim ego jus habeo adverſus alterum, alter circa eandem rem non poteſt habere jus adverſus me. Facta non faciunt Jus. Naturæ leges obligant etiam homines, extra Rempubl. in ſtatu libertatis viventes. An enim ex eo, qvod turbidi & petulantes homines leges violant, exiſtentia illarum negari poteſt? *Conf. Celeb. Dn. Bierl. Lineamenta Method. Stud. cap.* 8. §. 4.

Origo Imperiorum.

§. VI. Ingens itaqve malum, ex neglectu amoris, & hoſtili hominis ſtatu, tantaqve ingeniorum turbulentorum diſcrepantia profluens, civitates, regna, & Imperia produxit. Qvare enim patres familias, deſertâ naturali libertate, ad civitates conſtituendas deſcenderint, nulla alia fuit cauſa, qvam ut præſidia ſibi circumponerent contra mala, qvæ homini ab homine imminent. Nam, uti poſt Deum O. M. homo homini plurimum prodeſſe, ſic & idem non minus obeſſe poteſt. Et recte malitiam hominum, ejusqve remedium æſtimant, qvi in proverbii vicem receperunt: niſi judicia eſſent, unus alterum devoraret. Qvale Hæbreorum proverbium, *Grotio de J. B. & P. l. 1. c. 3.* §. 4. allegatum, ita declarat *Chryſoſtomus*, niſi Rectores civitatum eſſent, feriorem feris viveremus vitam, non mordentes tantum, ſed & vorantes alios alii. Qvo de plenius egit *Dn. Præſes in tr. Jur. Nat. c. 7. §. 1. 2. & 3.* Finis autem Rerumpublicarum conſtitutarum eſt, ut, adhibitis juſti regulis, ſubditi in tranqvillo & pacato ſtatu conſerventur. Juſtitia autem in reali adminiſtratione & attributione ſui ſecundum amorem proximi conſiſtit.

Qvid ſit Amor & de diviſione amoris.

§. VII. Non diu morabimur in definitione amoris, cum, qvid ſit verus & illibatus amor & ſacra ſcriptura, & propria cujuscunqve conſcientia abunde ſatis doceant. Definiunt, aut potius deſcribunt JCti Amorem, qvod ſit jus non levi notitia, ſed familiaritatis, rationibus honeſtis qvæſitum: *l. 223. §. 1. ff. de Verb. Sign. l. ult. ff. de Juſt. & Jur. l. 34. ff. de Pact. l. 41. ff. de A. vel A. P.* Is namqve demum vere amicus eſt, cum qvo ſumma & intima eſt familiaritatis notitia, qvâ eum

qvis

Digitized by Google

qvis ut familiarem, ut ſuum, ut domeſticum habet, qvâ eum pietatis prope amore & affectione amplectitur, & hic viciſſim ab ipſo: inter qvos eſt arctiſſima charitas. Veteres talem intimum affectum variis modis exprimebant: Ex corde, ex animo, ex intimis præcordiis, meditullitus, animitus, oculitus. Amantiũ enim eſt oculum appellare id, qvod unice charum eſt. Hinc de ejusmodi amore *Senec. lib. 1. epiſt. 3.* Si aliqvem amicum exiſtimas, cui non tantundem credis, qvantum tibi, vehementer erras, & non ſatis noſti vim veræ amicitiæ: errat & ille, qvi amicum in atrio qværit, in convivio probat. Hinc *Cicero in Læl.* Amicitiam definit omnium divinarum humanarumqve rerum cum benevolentia & charitate ſummam conſenſionem. Alii virtutem nuncupant amorem rectæ rationis. *Illuſtr. Thomaſius* virtutem appellitat die Kunſt vernünfftig zu lieben: ubi tamen per amorem, non illa animi paſſio, qvando rem amatam enixiſſime deſideramus, & impetratam cum gaudio tenemus, ſed firmiſſimum ſecundum rationem recte agendi propoſitum intelligitur, ille affectionis, hic amor effectionis audit. Poſſes autem in noſtro ſenſu amorem definire, aut potius deſcribere, qvod ſit Harmonia & conjunctio voluntatum, ſibi bene cupientium, & conatus aliorum adjuvantium. Amare enim eſt velle alicui omnia bona evenire, & horum effectorem eſſe. Dividitur Amor in honeſtum & inhoneſtum, ille a virtute cauſatur, & ad honeſta fertur, hic ex vitio provenit, & ad turpitudinem tendit: Ille ſola honeſtate conſtat, hic voluptate: Ille ſolius eſt hominis, hic brutis etiam convenit: Ille ex ratione & bono per ſe oritur, ſoloqve animo æſtimatur, hic ex cæca libidine ſine judicio, ſine modo, ſine bono fine corporis delectationem ſolummodo creat, & plerumqve oculis auribusque ſe inſinuat: Ille eſt verus, licitus, & debitus, hic ſimulatus, illicitus, & indebitus. De utroqve igitur acturi in ſectione 2. amorem licitum & honeſtum, in ſectione 3. amorem illicitum ſiſtemus, ea proprie, qvæ ad forum juridicum ſpectant,

ſpectant, exhibituri, cum, ſi amorem ejusqve gradus ex theologia & doctrina morali plenius exhaurire vellemus, integrum facile tractatum complere poſſemus.

SECTIO II.

De Amore Licito.

§. I.

ORdo nos ducit ad verum licitumqve amorem, eosqve, qvos intimo cordis ſenſu amare debemus. Inter quos primum & maximum amoris gradum tenet Deus T. O. M. Huic enim, tanquam omnis boni & autori, & datori, & univerſi orbis creatori, creatura rationalis obſequium, amorem, devotionemqve omnem debet. Hic vitam dedit, hic vitam adimit. In ipſo vivimus, ſumus, & morimur. Hic præſentis, hic futuræ, & majoris, vitæ centrum unicum. Hic ens perfectiſſimum & ſufficientiſſimum, a qvo omnis noſtra felicitas dependet. Amandus igitur ante omnia Deus, & quidem ex toto corde, ex tota anima, & totis viribus *vid. cap. 1. verſ. caput X. de ſacr. unct.* quæ demum dicitur charitas vera, germana, & perfecta, uti vocatur *in c. charitas 5. diſt. 2. de pœn.* Amandus eſt Deus, qui omnis boni fons eſt, qui ipſa ſapientia, omnis ſapientiæ largitor, ipſa pulchritudo, omnem producens pulchritudinem, juſtitia juſtorum, omnis bonitatis bonitas, conſummatio omnium perfectionum. Nihil præter ipſum animam noſtram ſatiare, nihil eam explere valet, nihil ipſam conſummata dulcedine perfundere, nihil ipſi præſentem futuramqve beatitudinem conferre poteſt. Hic nos ſanguine ſuo redemit, Hic vitam æternam nobis promiſit. *Poiret Inſtn. virt. Chriſt. epiſt. 1. p. 1.* De Amore Dei.

§. II. Amorem Dei excipit amor ſui. Ordinata charitas poſt Deum incipit a ſe ipſa, cum nemo proximum ſuum plus diligere teneatur, qvam ſe ipſum: Naturale enim eſt, ut ſe qvisqve maxime diligat, nec cuiqvam magis, qvam ſibi, De Amore ſui.

Digitized by Google

bona exoptet, qvorſum vetus illud: prŏximus ſum egomet mihi: & ab *Ariſtotele lib. 9. Eth. Nicomach.* amor proprius pro norma & fundamento amicitiæ amorisqve poſitus eſt. Unde fatuitatem redolet, aliis gratificari, ut ipſimet egeamus ex pertrito illo: interulam magis ſtringere qvam tunicam. *Imol. in l. 57. §. f. ad Trebell.* qvin & tunica propior pallio eſt, & genu propius tibia, & unusqvisqve ſibi proximus judicatur. *Ern. Cothm. vol. 3. Reſp. 31. n. 48. & Reſp. 49. num. 155.* qvapropter non convenit alteri unum ſpoliari alterius veſtiendi cauſa *l. 15. §. 8. ff. de damn. inf. Knich. de Jur. territ. c. 4. n. 434. & ſeqq.* Sic ergo commodis aliorum inſervire tenemur ut nobis non officiamus. Et ipſe Apoſt. 2. *Cor. VIII.* 13. vult, ſic nos aliis commodemus, ne nobis ſit afflictio. Qvid maxime exigitur ab homine? qværit *Sen. de vit. beat. c. 30.* Ut proſit hominibus, ſi fieri poteſt, multis: ſin minus, paucis: ſin minus, proximis: ſi minus, ſibi.

De Amore & tuitione corporis.

§. III. Amor ſui ſuam potisſimum vim exerit in conſervando atqve tuendo vel corpore, vel honore, vel bonis ſuis. Eleganter hoc declarat *Cicero lib. 1. de Off* qvando ait, principio omni animantium generi à natura tributum eſt, ut ſe, vitam, corpusqve tueatur, declinetqve ea, qvæ nocitura videntur: Et in oratione pro *Milone*: hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & natura ipſis feris præſcripſit, ut omnem ſemper vim, qvâcunqve ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent. Omne animal, teſte eodem *Cicerone lib. 2. de Finib.* Simul ac ortum eſt, & ſe ipſum, & omnes partes ſuas diligit. Cum natura unumqvodqve animans ſibi qvam maxime commendet, & conſervandi conatū cum lacte qvaſi materno inſtillet, aut ſpectata inſectorum productione, cum radicali primo eis humido communicet. Ad qvam defenſionis noſtræqve conſervationis legem, tam alte radicatam, non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus: Ut, ſi vita noſtra in aliqvas inſidias, ſi in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio

eſſet

eſſet expediendæ ſalutis: vim vi repellere licet. Videmus animantium qvodqve eo ad ſui tutelam uti, qvo maxime valet. Nam & vitulus nondum enatis cornibus ea parte minatur, & eqvuleus nondum firmatis ungulis calcitrat, & catellus dentibus nondum robuſtis morſicat. Eſt & apibus mellificis ſuus aculeus, habet & muſca ſplenem, ineſt & formicæ ſua bilis, mordebitqve vel capra nocentem. Qvalis vitæ membrorumqve noſtrorum neceſſaria defenſio tam laxa, tamqve favorabilis eſt, ut cum internecione etiam alterius, ſi nullum aliud ſuppetit remedium, expediri poſſit. Et qvi hoc caſu occidit, non ſolum impunitatem in foro, ſed & immunitatem habet in conſcientia. Indeqve optime reſcribit Imper. *in l. 2. C. ad l. Corn. de Sic.* Is, qvi aggreſſorem, vel qvemcunqve alium, in dubio vitæ diſcrimine conſtitutus occiderit, nullam ob id factum calumniam metuere debet. Et *in l. 3. C. eod.* ſi qvis percuſſorem ad ſe venientem gladio repulerit, non ut homicida tenetur, qvia defenſor propriæ ſalutis in nullo peccaſſe videtur. Hinc qvoqve eſt, qvod gravius homicida plectunt conſultiſſimæ qvæqve gentes eum, qvi ſibi ipſi ſceleſtas infert manus *C. ſi non licet 23. qu. 5.* non tantum qvod peccet in majeſtatẽ divinam, ut ipſe *Plato* confitetur in Phæd. *Helior. lib. 2. hiſtor. Æthiop. Cic. 8. Tuſc. & in Somn. Scip.* & qvia nemo Dominus eſt membrorum ſuorum *l. 13. ff. ad L. Aquil.* ſed qvod arctiori vinculo homo ipſe ſibi uniatur, vel appetitus connectatur cum ratione, qvam ut a ſe ipſo tantam ſperare debuerit injuriam, amori ſui ipſius omnino contrariam.

De Amore & tuitione honoris.

§. IV. Cum autem vita & fama pari paſſu ambulant *l. 9. pr. ff. de Man. vind.* & crudelis vocatur, qvi famam ſuam negligit. *C. nolo 12. qu. 1. C. non ſunt audiendi 11. qu. 3. conf. l. 2. §. 24. ff. de O. J. l. 8. § p. qvod met. cauſa.* Ut enim aliqvando mortui per gloriam vivere intelliguntur *pr. J. de Excuſ. tut.* ita etiam viventes per infamiam pro mortuis habentur. Sic honorem qvisqve ſuum, ex glorioſis actionibus qvæſitum, amare, & tueri debet. Qvamvis enim Cynici philoſophi omnem

honorem contemnendum eſſe, putent, parumqve referre credant, qvid alii de nobis vel dicant, vel ſentiant: Qvamvis etiam honor, (qui nihil aliud, quam æſtimationem ſeu virtutis taxationem involvit,) ex ipſis factis egregiis, perpetuam laudem, gloriam, & valorem merituris, conſtans, ex corruptiſſimo ſeculi corrupti ſuffragio non dependeat, & ideo improbæ, qvi honorem legitime partum vellicant, calumniæ potius ſperni, qvam vindicari, mereantur. Qvia tamen non parum vulgi opinione & teſtimonio juvatur, & ſecundum illud tritum, calumniare audacter, ſemper aliqvid hæret, coram hominibus illum aliquo modo violari, & ſic recte vindicari, nemo negabit. Eleganter ait *Cicero in Orat. pro Archia.* Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus qvisqve maxime gloria ducitur. Eſt enim docente *Eod. lib. 3. de fin.* hominis ingenui, & liberaliter educati, velle bene audire a parentibus, a propinqvis, a bonis etiam viris: & futuræ poſt mortem famæ, propter rem etiam detracto uſu, conſulendum. Eſt contra, pergit idem *in Piſon.* animi anguſti, & demiſſi, honorem atque dignitatem contemnere. Nam, ut levitatis eſt, inanem aucupari rumorem, & omnes umbras etiam vanæ gloriæ conſectari: Sic levis eſt animi, lucem ſplendoremqve fugientis, juſtam gloriam, qvæ eſt fructus veræ virtutis honeſtiſſimus, repudiare: ſentiunt nobiſcum Julianus & Papinianus *in l. 26. pr. ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſt.* dum emphatice volunt, dolo non carere eos, qui, honore proprio omiſſo, propter compendium qvodvis lucrum adventitium malunt.

De Amore & tuitione bonorum.

§. V. Poſt vitam & honorem amor nos trahit ad bona & ſubſtantiam bonorum noſtrorum. Qvæ qvaſi altera hominum vita, ut ait *Gloſſ. in L. 14. v. vitam C. de advocat. diverſ. Jud. & in l. 22. verb. vitam C. de adm. tut.* Unde in *l. 49. ff. de V. S.* Bona naturaliter ex eo dicuntur, quod beant, hoc eſt beatos faciunt. Et cum absque rebus homo vivere non poteſt, nemo enim ex vento vivere præſumitur, hinc etiam

necare

necare dicitur, qvi alimenta ſubtraxerit *l. necare 4. ff. de Agnoſc. vel al. lib.* Non improbandus, ſed, ſi ſordidam avaritiam, & illicitum habendi & acqvirendi pruritum demas, maxime laudandus erit amor, pro neceſſaria rerum noſtrarum conſervatione ſuſceptus. Ex qvo facile apparet, qvod res valde pretioſa, cujus amiſſio maximum bonorum noſtrorum jacturam inferret, usqve ad cædem invaſoris, ſi alia via non ſupereſt, defendi & recuperari poſſit. Nam citra res utique vita noſtra ſervari neqvit, & æqve hoſtilem animum declarat qvi res, qvam qvi vitam per injuriam, impetit. Qvin, qvæ inter rem & vitam hominis, in ſe nec prece nec pretio redimendam, eſt inæqvalitas, ea favore innocentis & furis odio compenſatur, apertumqve eſt, ſecuritatem ac tranqvillitatem ſocietatis civilis ac generis humani ſubſiſtere nullo poſſe, niſi poteſtas ſit raptores rerum, qvas utiqve mortales maximo proſeqvuntur amore, per extrema coercendi.

De Amore parentum.

§. VI. Cum amore noſtro arctisſime cohæret amor liberorum, qvippe qvi portio & ſubſtantia parentum ſunt, qvi eos generarunt *l. 22. in f. C. de Agr. & Cenſ.* & prope eadem nobiscum perſona *l. ult. in f. C. de Impub. & al. Subſtit.* Huc facit *l. 4. ff. de Inoff. Teſt.* ubi ſanguis liberorum dicitur ſanguis parentum. Hinc filius eſt caro patris aucta, & nova anima animata, ut ait *Paul. Caſtr. conſ. 264. in prælect. cauſ. col. 3. lib. 2.* Indeqve æqve parentibus liberorum vitam charam eſſe, atqve ſuam, docet *Philoſoph. 8. Eth. 14.* Idqve inſtituente natura fieri dicit *Pacat. in Paneg. Theod.* ut plus fere filios, qvam noſmet ipſos diligamus, qvod & *Accurſius* non inepte elicit ex *l. 8. §. 3. in f. ff. qvod met. cauſa* ubi dicitur, pro affectu parentes in liberis magis terreri, qvam ſe ipſis, *& §. ult. Inſtit. de Nox. Act.* per filii corpus patrem magis, qvam ipſum filium, periclitari. Unde *Bald. in auth. Coll. 7. verſ. 2. C. de lib. præt.* morbum cerebri habere ſcribit, qvi naturalem erga liberos charitatem non curat *arg. L. amicisſimos §. Lucius ff. de Excuſat.* & Juſtinianus qværit *l. ult. pr. C. de*

Curat.

Google

Curat. fur. qvis talis affectus extraneus inveniatur, ut vincat paternum: tandem *gloſſ.* concludit, non poſſe filium patre meliorem amicum invenire in *l. qvidam ff. de Her. Inſt.* Fluit hic amor ex ardentiſſimo motu & inſtinctu, qvem natura non ſolum hominibus, ſed ipſis qvoqve brutis indidit, atqve tale eſt Jus Naturæ, qvod natura omnia animalia docuit. Et qvomodo non mater cumprimis partum liberosqve ſuos amare, & fovere ſolet, qvæ ſc. ante partum oneroſa, in partu doloroſa, poſt partum laborioſa *C. ult. X. de Conv. fid.* Ipſiqve filii portio viſcerum matris ſunt *l partum C. de R.V.* Maximus autem amor, maximumqve beneficium, qvo parentes afficiunt liberos, conſiſtit 1. in vita, cum hæc baſis & inchoamentum omnium ſit, qvæ à liberis proficiſcuntur, niſi enim hoc beneficium præceſſiſſet, non potuiſſet qvicqvam ſeqvi a liberis. Unde fit, ut qvicunqve ad ἀντίδωρα hortantur liberos, vitam tanqvam principium omnium reliqvorum beneficiorum primo loco exprimant. Hinc qvoqve venit, qvod parentes vitam atqve ſalutem liberorum tantopere ſibi ubivis in jure commendatam habeant *vid. l. 22. in f. ff. de Adult. l. 77. §. 24. de Leg. 2.* in tantum, ut ſi pater filium, qvi crimen etiam capitale commiſerit, judici obtulerit, remiſſius ſit puniendus filius, ne videatur pater eum ad ſupplicium obtuliſſe *l. 13. §. ult. ff. de Re milit.* Non enim præſumitur, patrem velle morte afficere eum, cui vitam dedit, ſed leviter tantum corrigere. Alterum parentum beneficium conſiſtit in educatione & nutritione, ad qvam eos obligari ex providentia naturæ patet. Finis namqve naturæ eſt, ut parentes per liberos reviviſcant, & humano generi immortalitas qvodammodo introducatur *l. 220. in f. ff. de V. S. l. 14. pr. verb. ut maneat ſuis vicibus immortale C. de Leg. Her. Nov. 22. in præf.* Verum hoc per nativitatem aſſeqvi non licet, niſi acceſſerit educatio, qvia qvod natum eſt, niſi continua nutritione conſervetur, denaſci properat, & ſuopte impetu ad principia reſolvitur. Hæc educatio à certa proinde perſona fieri

Digitized by Google

fieri debuit, at qvæ ratio, ut extraneus eam expediret? natura eqvidem parentes facultate generandi vel ideo inſtruxit, non tantum ut ſpecies producatur, ſed etiam ut conſervetur, & qvaſi æternaret propagatione. Qvi dat formam, dat qvæ ad formam ſunt neceſſaria, dictum eſt *Ariſtotelis*: Qvare, qvi cauſa eſt, ut homo exiſtat, is qvantum in ſe eſt, & qvantum neceſſe eſt, proſpicere ei debet de his, qvæ ad vitam humanam, id eſt naturalem & ſocialem, nam ad eam natus eſt homo, ſunt neceſſaria. Naturalis ſtimulus, ut loqvitur Juſtinianus *pr. Inſt. de Jur. Nat. & Gent. & l. Jus Naturale ff. de J. & J.* Id eſt στοργὴ, parentes ad liberorum educationem hortatur. *Conf. l. un §. 5. verſ. ſileat C. de Rei uxor. act.* & alibi, filium vel filiam alere patri neceſſum eſt, propter ipſam naturam. Recte ait ex *Diodoro Siculo Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 7. ſ. 4.* Optima qvippe magiſtra natura eſt cunctis animantibus non tantum ad ſui, ſed & ad prolis ſuæ conſervationem, ut cognata hac caritate continua ſucceſſio ad æternitatis circulum perveniat.

§. VII. Ob tanta igitur, qvæ a parentibus in liberos profluunt, beneficia, liberi viciſſim parentes ſuos ardentiſſimo ſtudio amare, & qvâvis devotione proſeqvi debent. Indeqve 1. tenentur ad parendum *conf. Luc. II. in f. Eph. VI. 1.* & 2. ad perpetuam reverentiam, qvo nomine liberi non externis tantum ſignis, ſed multo magis interna devotaqve æſtimatione parentibus, veluti vitæ ſuæ autoribus, à qvibus tot infinita in ipſos collata, qvæqve rependi non poſſunt, beneficia, obedire debent. Sanctaqve ac honeſta ſemper filio ſit perſona patris. *l. 9. ff. de Obſeq. par. & patr. præſt.* Singulare eſt, qvod hoc de parentibus colendis præceptum ſingularem benedictionis divinæ promisſionem habeat. Et vel eo religioſius liberi parentibus ſunt obſtricti, qvò magis tenetur qvis reddere qvod debet, qvam novum beneficium in alium collocare. Cum jam liberi ſint in ære parentum, ante omnia debita, qvæ qvocunqve modo contrahere

De Amore liberorum & conjugum.

pos-

Digitized by Google

poſſunt, nemini mortalium qvicqvam debent ante parentes, ſive de collocando beneficio, qvod debitis ſemper poſtponendum, ſive de aliis aliunde contractis debitis agatur. Parentes qvicqvid faciunt erga liberos, ex gratuita plerumqve benevolentia faciunt: liberi vero ex debito, & proinde major eſt liberorum, qvam parentum obligatio. Ergo, ubi qvis, à parentibus enutritus, ad adultam ætatem pervenit, nec vices reddit, dignus eſt, qvi omnium odio ad reddenda paria compellatur. Accepiſti à parentibus vitam, alimenta, & qvicqvid es, qvicqvid agis, qvicqvid habes. Tantundem debes, aut etiam amplius, qvoniam etſi omnia, qvæ a parentibus acceperis, reddas, nondum tamen aſſecutus es gradum paterni beneficii. Conjugale autem vinculum cætera vincula facile ſuperat, cum vir & uxor ſint unum corpus, una caro, una pene anima, de qva re plene diſſerit in LL. Connub. *Simon de Pratis lib.1. de Interpr. ult. vol. Interpr.2. dub.2.*

De Amore erga patriam & Rempubl.

§. VIII. Succedit amor erga patriam & Rempubl., in qva vivimus: maximus enim poſt Deum, ſi qvis eſt, Amor eſt patriæ, inqvit *Divus Ambroſius lib.1. de Off. c.27.* Et *Cicero Philipp. V.* ait. An poteſt cognatio ulla propior eſſe, qvam patriæ, in qva parentes etiam continentur? Adeo, ut ipſa juris regula patriam parentibus præferendam confirmare audeat *l.19.§.7.ff.de Capt. & Poſtl. reverſ.l.13. in f. & l.14. in pr. ff. ad SC. Trebell. l.35.ff. de Rel. & Sumt. fun. in f.* Pia qvippe eſt recordatio illius loci, maxime patriæ, qvæ oſſa majorum tenet. Sancta eſt veneratio atqve meditatio eorum, qvos patria tenuit, qviqve patriæ clavem adhuc dum defendunt, atqve tuentur. Magnam igitur merito qvilibet ſibi ducit felicitatis partem, parentibus honeſtis eadem in Republ. naſci, noſtri enim ortum partim & ea ſibi vindicat *l. 1. §. 15. ff. de Ventr. in poſſeſſ. mitt.* liberaliter educari: artibus bonis imbui, cum & ex ſurculo tandem ſtipes fiat: animumqve floreſcentis juventutis literarum deliciis accendere, & ad majora incitare, qvippe cum hoc virtutis, qvamvis pervenire feli-

Digitized by Google

felicitatis ſit,ut ait *Plinius.* Eqvidem, teſte *Cicerone l. de Offic.* patria omnes omnium propinqvorum & parentum cognationes in ſe complectitur, & nobis ipſis charior eſſe debet. Omnium namqve ſocietatum nulla eſt gratior, nulla carior, qvam ea, qvæ cum Republ. eſt unicuiqve noſtrum. Chari ſunt parentes, chari liberi, propinqvi, familiares, ſed omnes haſce charitates vincit patria. Nec enim ſolis parentibus naſcimur, ſed patriæ prius: nec civem patriæ utilitatibus præripere, aut impedire poteſt pater *l. 3. §. 5. ff. de Mun. & Hon.* Qvoniam boni cives publicam diſciplinam pluris faciunt, qvam charitatem domeſticam *d. l. 19. §. 7. in f. ff. capt. & poſtl.* & plus juris competit patriæ in civem, qvam patri in filium. Unde ſi utriqve parendum, patria parentibus præferenda *arg. l. 3. C. de Prim. Auth. res qvæ C. Comm. de Leg.* Idem dicendum eſt de Republ., in qva vivimus, qvæ altera qvaſi patria noſtra eſt, qvam adeo maximo pariter ſtudio amare, & omnem principibus & moderatoribus Rerumpubl. devotionem præſtare, qvin & ſicut Deum colimus, ſic qvoqve hoſce Dei vicarios colere debemus. Bene ait *Grotius de J. B. & P. L. II. c. 4. § 8.* Eum virum bonum ac civem eſſe, qvi præſentem Reipubl. ſtatum mutari non vult. Sicut & Cicero oratione ad Qvirites contra Rullum, otii & concordiæ patrono convenire, ait, defendere Statum Reipubl. qvi qvoqvo tempore ſit. Et Livius ait, optimum qvemqve præſenti ſtatu gaudere.

De Amore fratrum & cognatorum.

§. IX. Amandi deinceps ſunt fratres, ſorores, cognati affines, Amici, vicini, imo omnes homines, dictum enim eſt, diliges proximum tuum ſicut te ipſum *Matth. XXII. 39.* Eqvidem, qvod fraternum amorem concernit, qvadrat huc illud *Qvintiliani declam. 321.* Qvæ amicitia poteſt eſſe tam felix, qvæ imitetur fraternitatem? Amor fraternus à natura inditur, atqve aſſidua converſatione robur viresqve accipit. Hinc *Feſto l. 6.* Frater dicitur qvaſi fere alter. Et frater eadem fere perſona cum fratre videtur. *Stobæus Serm. 84.* fratrem dixit eſſe partem corporis alterius. Qvam copioſæ ſuavitatis illa

illa recordatio eſt, inqvit *Valer. lib. 5. c. 5. in pr.* In eodem domicilio, anteqvam naſcerer, habitavi. In iisdem cunabulis infantiæ tempora peregi, eosdem appellavi parentes: eadem pro me vota excubuerunt: Parem ex majorum imaginibus gloriam tinxi. Chara eſt uxor, dulces liberi, jucundi amici, accepti affines, ſed poſtea cognitis nulla benevolentia accedere poteſt, qvæ priorem, fraternam nempe, exhauriat. Tria juxta *Ecclеſ. c. 25. pr.* Probantur Deo & hominibus, concordia fratrum, amicitia vicinorum, & vir atqve uxor bene conſentientes. *Sotion apud Stobæum* recte dixit, qvi, relictis fratribus, alios amicos qværunt, ſimiles illis ſunt, qvi ſuum rus incultum ſinunt, & alienum colunt. Hinc omnes olim judæi vocabantur fratres *Deut. XXIII. 19. & 20. Lev. XXV. 35.* & in primitiva eccleſia ipſe Chriſtianorum cœtus fraternitas vocabatur. *Hieron. adv. Helvid. tom. 2. c. 8. conf. C. literas X. de Præſumt. & l. fratris* 10. *C. de Transact.* Eadem eſt ratio cum ſororibus, in eodem & amoris & conſanguineitatis gradu concurrentibus. Indeqve paſſim in legibus vocantur ſuaviſſimæ *l. 41. §. 4. ff. de Fideicomm. lib.* & chariſſimæ *d. l. 41. §. 6. conf. l. 1. §. pen. ff. de Suſp. tutor.*

De Amore amicorum.

§. X. Maximum pariter & prævalidum Amicorum amicitiæqve vinculum, neqve ulla ex parte ſanguinis viribus inferius exiſtit. Illud uniuscujusqve ſolido judicio incocta voluntas contrahit, naſcendi autem ſors fortuitum opus. Recte ait *Cicero lib. 1. Offic.* ſanguinis conjunctio & benevolentia devincit charitate homines: Magnum eſt enim eadem habere monumenta majorum, eisdemqve uti ſacris, ſepulchra habere communia: ſed omnium ſocietatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior, qvam cum viri boni ſunt familiaritate conjuncti. Amamus eos, qvi rebus noſtris gaudent proſperis, dolent adverſis, qvi eadem nobiscum utuntur fortuna vel bona vel mala, in utraqve enim egemus amicis, qvi in iisdem periculis nobiscum fuerunt, qvi nobis cohabitarunt, cum qvibus aut ſumus peregrinati, aut in iisdem Academiis ver-

Digitized by Google

verſati, qvi iisdem nobiscum utuntur vel amicis vel inimicis, qvi bene de nobis vel noſtris ſunt meriti, qvi alienis rebus ſeſe non immiſcent, qvi in arte aliqva, vel in facultate eminent, qvi nobis aut ætate, aut ſtudiis, aut vitæ genere ſunt pares, qvi in qvotidiana converſatione ſunt ſuaves, faciles, hilares, humani, urbani, faceti, qvi nos & noſtra bona commendant, qvi in veſtitu corporis, cultu, aliisqve rebus elegantiæ ſtudent, qvi nec beneficia nec vitia nobis exprobrant, qvi non ſunt memores injuriarum, ſed facile placantur, qvi non ſunt maledici, nec vitia noſtra ſcrupuloſe ſcrutantur, qvi nobis iratis non adverſantur, nec illudunt ſeria tractantibus, qvi noſtri ſunt amantes & ſtudioſi, & in abſentia vel nos laudant, vel admirantur, vel noſtra conſuetudine & familiaritate delectantur, qvi nobis ſunt fidi, & tam abſentes nos, qvam præſentes, amant, qvi candidi ſunt & aperti, nihil fingunt, nihil ſimulant, qvi non ſunt nobis formidandi. Nam fieri neqvit, ut, qvos formidamus, vere amemus. Sunt Amici, qvi vires ſuas jungunt ad actiones mutuas perficiendas, & repellendas inimicorum. Inimici ſunt, qvi tentant impedire actiones aliorum. Idem velle, idem nolle, ea demum vera amicitia eſt. Qvos amamus, eorum præſentiam deſideramus, & abſentia amoris pariter & amicitiæ gradum diminuit, ſi diuturna ſit, contra, ſi brevis ſit, deſiderium excitat. Qvo de *Conſ. Dn. Præſ. tr. de Prud. Legisl.* §. 55.

§. XI. Imo, qvamvis in amore gradus dentur, atqve commemoratas perſonas majori ſoleamus proſeqvi amore, nihilominus tamen omnes indiſtincte homines, ipſos qvoqve inimicos, amare debemus. Si enim, uti *Sect.* 1. §. 1., diximus cognationem qvandam ſive proximitatem natura inter omnes homines conſtituit *l.* 3. *ff. de J. & J.* univerſum genus humanum, hominesqve omnes, omni amore proſeqvi fas eſt. Explicat hoc eleganter *Cicero lib.* 5. *de Fin. bon. & mal.* dicens. In omni honeſto, de qvo loqvimur, qvod per ſe expetendum dicimus, nihil eſt tam illuſtre, nec qvod latius pateat, qvam con- *De Communi omnium hominum amore.*

conjunctio inter homines hominum, & qvaſi qvædam ſocietas & communicatio utilitatum, & ipſa charitas generis humani: qvæ nata à primo ſatu, qvo à procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio & ſtirpe conjungitur, ſerpit ſenſim foras cognationibus, primum tamen affinitatibus, deinde amicitiis, poſt vicinitatibus cum civibus, & iis, qvi publice ſocii atqve amici ſunt, deinde totius complexu generis humani: qvæ animi affectio, ſuum cuiqve tribuens, atqve hanc, qvam dico, ſocietatem conjunctionis humanæ munifice & æqve tuens, juſtitia dicitur, cui adjunctæ ſunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, qvæqve ſunt generis ejusdem. Atqve hæc ita Juſtitiæ propria ſunt, ut ſunt virtutum reliquarum propria.

De effectibus quibusdam amoris ex Jurisprudentia Rom.

§. XII. Magnos ſane amoris effectus Jurisprudentia noſtra ſiſtit. Ex hac alimentatio liberis & Parentibus reſpective præſtanda. Ex hac tota ferme ſucceſſionis ab inteſtato materia fluit. Equidem natura eo nos inclinat, ut vehementi, prout dictum, affectu eos, qui vel ortum ex nobis, vel cum nobis communem, habent, proſequamur: Utpote quos ejusdem ſanguinis participatio, & hinc nata fere temperamentorum & educationis ſimilitudo, nobis conciliat: Res ad devinciendos charitate hominum animos efficacisſimæ. Fieri autẽ plerumque ſolet, ut, quos charos habemus, ad eos ex bonis noſtris quamplurimum pervenire optemus. Natura enim dilectionis in communicatione quadam bonorum conſiſtit ſecundum *Ariſtotelem lib. 8. Nicomach. c. 9.* Hactenus igitur recte ad naturam referri volunt inteſtati ſucceſſionem: non, quod naturæ jure debita ſit liberis & cognatis parentum & propinquorum hæreditas, ſed quod affectum illum dilectionis, qui natura inter ſanguine junctos intercedit, id ſoleat conſequi, ut bona noſtra ad cognatos pervenire velimus: Ita tamen, ut hoc etiam abeſſe posſit. Nimirum liberis ex mente veterum JurisConſultorum naturalis ratio, tanquam lex quædam tacita, Parentum bona addicit. Sic ſponſalia, ſic dona-

Digitized by Google

donationes, ſic dotis datio, ſic manumiſſio ſervorum, ſic adoptio, ſic emancipatio, ſic tutela tum teſtamentaria tum legitima, ſic uſufructus, gratuito conceſſus, ſic legata, fideicommiſſa & teſtamenta, ſic mutuum gratuitum, ſic commodatum, ſic precarium, ſic mandatum, ſic negotiorum geſtio, ſic remiſſio debiti, & tot alia capita, quorum explicatio ex Jure Communitatis conſtat, ex lege amoris fluunt.

§. XIII. Cæterum dilectionis & amoris in multis jurium articulis etiam ſimpliciter, & citra comparationem, ratio habetur, primo in hoc, ut propter eam largius voluntates diſponentium interpretemur *l.50.§.f.ff.de leg.1.* Sic quando filius propter naturalem affectum patri liberationem ab actione tutelæ legat, intelligitur etiam a reddendis reliquis eum liberatum voluiſſe *l.28.§.Titius 3.ff. de lib. legat.* Secundo dilectionis citra comparationem ratio habetur ad hoc, ut ſuſtineatur & valeat actus, qui alias periturus erat: exemplum eſt *in l. 41. §.ult.ff. de vulg.ſubſt.* Ubi, deficiente etiam inſtitutione, ſubſtitutio ſuſtinetur reſpectu perſonæ, teſtatori dilectæ. Aliud exemplum eſt in *L.cum alienam C.de leg.* ubi, quamvis legatum rei alienæ non valeat, ſi teſtator ignoraverit, alienam fuiſſe. *L.unum ex familia §. ſi rem tuam ff.de leg.2.* tamen ſi ſit relictum dilectæ perſonæ, veluti uxori, legatum ſuſtinetur. Similiter donationem, dilecto factam, non ſubjacere revocationi ex *l.ſi unquam C.de revoc.don.* admittit *Tiraquellus in comm. ad d.l.* Atque hæc obtinent non tantum in dilecto, qui ſanguine attingit teſtatorem, verum etiam in quovis alio, qui ei honeſta amicitia conjunctus eſt. Tertio pertinet ad effectum dilectionis, ſimpliciter ſpectatæ, hoc quoque, quod tempus certæ ætatis, adjectum reſtitutioni fideicommiſſi, filio faciendæ, non conditionem, ſed diem faciat *l.46.ff. ad SC.Trebell.* cum in extraneo certa dies adjecta legatum faciat conditionale: ita, ut ante diem ad heredē legatarii nō transmittatur *l.49.ff. de leg.1.*

De aliis effectibus amoris ex jure.

§. XIV. Finis amoris eſt felicitas civilis. Nam vita ſolitaria, utpote amore deſtituta, a beatitudine omnino eſt alie-

De Fine amoris.

aliena,imo naturæ hominis tota contraria. Sine amore vita hominis perfecte beata eſſe neqvit. Indeqve,amicitiã maximum civitatis bonum eſſe,recte pronunciat *Ariſt.lib.2.pol.* Qvod ſi exemeris ex natura rerum amoris atqve benevolentiæ conjunctionem, nec domus ulla,nec urbs ſtare poterit: nec agri qvidẽ cultus permanebit; Id ſi minus certe intelligitur,qvanta vis amicitiæ concordiæqve ſit, ex diſſenſionibus atqve diſcordiis percipi poteſt. Qvæ enim domus tam ſtabilis, qvæ tam firma civitas eſt, qvæ non odiis atqve diſſidiis funditus poſſit everti. In Amore inſunt omnia,qvæ putant homines expetenda, honeſtas, gloria, tranqvillitas animi atqve jucunditas, ut, cum hæc adſint,beata vita ſit,& ſine iis eſſe non poſſit.

Qvomodo amor excitetur.

§. XV. Excitatur amor amore proximi. Si vis amari, ama. Si vis honorari, honora. Conciliemus nobis ergo amorem aliorum, ſi eos amemus ipſi. Eleganter ait *Seneca ad Luc. epiſt.9.* Ego Tibi monſtrabo, inqvit, amatorium ſine medicamento,ſine herba,ſine ullius veneficæ Carmine: Si vis amari,ama. Qvem ſecutus *Martialis lib.6.ad Marcum* ita canit:

Ut præſtet pyladem, aliqvis mihi præſtet Oreſtem,
Hoc non fit verbis, Marce, ut ameris, ama.

Qvid tam inſitum Naturæ! qværit *D. Ambroſius l.2.Off.ad Innoc.* qvam ut diligentem diligas? qvid tam inditum atqve impreſſum affectibus humanis,qvam ut eum amare ducas in animũ, à qvo te amari velis. Et Divus *Auguſtinus:* nullam eſſe majorem ad amorem invitationem, ait, qvam prævenire amando. Conciliamus autem & augemus amorem Amici, ſi id velle videamur ac oſtendimus, qvod ipſi placet, qvod ipſi eſt honorificum, utile,jucundum: Si pro viribus noſtris laboremus pro ejus honore, valetudine, fama, vita,bonis &c. Præſertim ſi iſta procuremus: ſicut omnia cedant in ejus, qvem amamus, commodum, nihilqve redundet in bonum noſtrum, ac proprium, ut etiam ignoret is, qvem amamus, cui bonum hoc vel illud procuramus. *Ariſtoteles* ait: Qvæ amorem conciliant, ſunt gratia, & non rogatum feciſſe, &, cum feceris, non indicaſſe.

SECTIO

Digitized by Google

Sectio III.
De Amore inhoneſto & turpi.

§. I.

Amori legitimo, ex vera virtute ſuborto, opponitur amor inhoneſtus, turpis, vitioſus. Vitiorum enim, qvibus mortalium animi obſidentur, qvæve ad ſtatum tum publicum, tum privatum maxime conturbandum omnino plurimũ valent, cum magna ſit varietas, omnia tamen ex uno veluti fonte, prava ſcilicet, qvæ omnes vexat, philautia proveniunt. Hujus autem tres præcipue ſunt filiæ, eædemqve vitiorum omnium, qvæ humano generi incumbunt, &, qvicqvid in orbe miſeriarum ac calamitatum illi attrahunt, matres, avaritia, voluptatis cupiditas, atqve ambitio. Atqve ex his omnes Rerumpubl. omnium mutationes, converſiones, totamqve malorum omnium, qvæ ſtatum tum civilem tum privatũ conturbant, provenire cohortem, adeo liqvidum, & experientia, proh dolor! qvotidiana compertum, ut de miſerrimo hoc generis humani ſtatu dubitandum non ſit. De Amore illicito ex volupt. ambit. & avar. ſuborto.

§. II. Atqve ad voluptatis qvod attinet cupiditatem, eam, ſive imperantium ſive civium ejus veneno afflati ſint animi, Reipubl. admodum noxiam eſſe, nemo forte, qvi unqvam ſerio rerum humanarum conditionem ſecum volverit, abnuet. Eſto princeps ventri gulæqve deditus, dies noctesqve inter epulas & impuros amplexus tranſigens, incuriusqve rerum omnium, ad ſtatum civilem ſpectantium, ecqvæ demum rerum ſub eo facies erit? Subditi autem ſi hoc vitio infecti ſint, qvod plerumqve fit, ſi ſuo Principes exemplo ad prava qvævis eos invitent, itidem non poſſunt non graviſſima inde in Rempubl. redundare damna. Ut enim taceam, animos ac corpora voluptatibus enervari, nullamqve virtutem ab eo expectandam eſſe, qvi voluptatibus indulget; paupertatem qvoqve certiſſimum luxuriæ comitem ejusmodi De Voluptate.

Digitized by Google

modi homines ſibi attrahunt, hanc deſperatio tandem, animusqve, ad qvidvis audendum paratus, rerumqve novarum cupidus, inſeqvitur. Ejusmodi deinceps homines ad ſeditiones, tumultus, proditiones facili negotio ſe adduci patiuntur, ut non ab hoſte, qvantumvis atroci, gravius patriæ immineat periculum, qvam ab illis. Talem Catilinam, peſtem illam Romanæ Reip. *C. Saluſtiq Criſpus* nobis ſiſtit in *bello Catilin. c. 15.* qvem luxuria & voluptas in ſummam conjecerat egeſtatem, egeſtas autem ad gravisſima ſcelera audacem reddebat. Eleganter hæc voluptatis vitia & incommoda deſcribit *Dn. Mell.* **in der Kunſt der wahren Hertzens-Vergnügung** oder **in der teutſchen** *Ethica c. 2. §. 4.* Schädlich iſt die Wolluſt dem Leib. Die Geſundheit/ die uns die Vernunfft lehret aufs ſorgfältigſte zu bewahren/ wird verwarloſet/ wann dieſe Veſtung mit halben und gantzen Gläſern beſtürmet wird: was hat ein Verſoffener davon? Kurtzes Anodina, wodurch der Menſch unempfindlich gemacht wird: Schmertzen des Haupts/ trieffende Augen/ einen geſchwächten Magen: das Podagra/ Fieber/ Schwind- und Waſſerſucht/ machen an dieſer Comœdie ein trauriges Ende/ auch offt in der Helffte der Tage. Ich glaube gewiß/ daß Völlerey täglich in der Welt mehr Leute um den Halß bringt/ als der Krieg in einem gantzen Jahr. Schändlich iſt die Völlerey und Wolluſt: Ein Menſch/ der ſeinen Leib an Huren hängt/ geräht in einen Labyrinth, woraus er ſich kaum entwickeln oder loßhelffe kan. *Et in* §. 5. Verſoffene ſind nicht weniger verhaſt; wandelbahre Wein-Schläuche/ und lebendige Bier-Fäſſer/ nimmer nüchterne Leute ſind ungeſchickt in der Welt was Rechtſchaffenes zu thun/ ſtolpern auf den Wege/ reden confus, und man vertrauet ihnen nichts Wichtiges an: Porro *in* § 6. Höchſt verderblich iſt die Wolluſt dem gemeinen Weſen. Dann/ da dieſer Oehlgötze der Wolluſt regieret/ da gehet alles confus zu/ die Schulen verfallen/ das Haußweſen wird zerrüttet. Rahthäuſer verliehren die Juſtitz/ Städte u. Dörffer werden zu Mörder-Gruben: Zanck/ Schlägerey/ Unluſt/ Ungerechtigkeit/ und tauſend andere Greuel

Digitized by Google

Greuel reiſſen ein/ GOtt weicht mit ſeinen Seegen/ der Teuffel iſt loß/ und nimt als ein ſtarcker Gewapneter mit ſeinen ſieben böſen Geiſtern den Pallaſt ein/ ſtürtzt die Vernunfft vom Thron/ und führet die Seelen/ als miſerable Schlaven der Wolluſt/ wohin er wil. Was ſind luſtige compagnien? unnütze Verſchwendungen der edlen Zeit/ eine Verſammlung ſündlicher Menſchen/ ein Cloac unnützer Reden.

§. III. Ambitio quos vexat gloriæque inanis cupiditas, qvantumvis ut viri fortes & ſtrenui haud raro celebrentur, & præ cæteris in Republ. emineant, facinoribus etiam præclaris eam cumprimis conſervare cenſeantur, eâ tamen paulo accuratius conſideratâ patebit, nunqvam tot in Rempubl. ab ejusmodi hominibus proficiſci commoda, ut non per eos longe majoribus incommodis atqve periculis exponatur. Etenim, ſi principum animos occupaverit iſta peſtis, hi ut inter Heroas tandem referantur, bellum ex bello ſerere, imperii dilatare & longe latèqve proferre limites, & per hoſtium civiumqve cadavera ad æternam & immortale contendere decus, non pulchrum modo & honorificum, ſed juſtum qvoqve & honeſtum ducunt. Bellorum contra qvicunqve demum ſit eventus, civibus non poſſunt non triſtia eſſe, & admodum funeſta. Fortunam enim ſi in iis parum faventem habeat princeps, vita & bona civium hoſtium furori exponitur, civium ſanguine principum expianda ſunt crimina: Sin autem proſpera utatur fortuna, resque ex voto ſuccedat, ut circumferre longe latèqve victricia arma poſſit, rurſus tamen vita civium in periculum adducitur, cum & ſecundis præliis copiæ atterantur: Cumqve ſine pecunia geri bellum neqveat, civium eſt, parta multo ſudore, ut unius hominis expleatur ambitio, profundere. Taceo nunc, qvod ſeveri ſint plerumqve homines ambitioſi, & ad tyrannidem proni, ab omni qvoqve humanitate alieni, & ſi forte fundamentalib' Reipubl. legibus circumſcripta ſit illorum poteſtas, ut qvidvis ſibi licere putant, perrumpere hæc vincula geſtiunt, maluntqve

De Ambitione.

D cædi-

Digitized by Google

cædibus, rapinis, incendiis, qvæ civilia plerumqve conſeqvuntur bella, cuncta miſceri, qvam legibus, qvibus civium continetur ſalus, ſuos attemperare mores. Atqve ut imperare omnibus homines, ambitionis oeſtro perciti, cupiunt, ita parere aliis neſciunt, aut ſi parendum eſt, vel inviti hoc faciunt, vel lubentes qvidem, aſt eousqve, qvousqve id commodis ſuis expedire, ut ficto obſeqvio ad novos honores viam ſibi muniant, ſentiunt. Hinc qvid ab iis, ſi civium loco ſint, expectandum ſit, nemini obſcurum eſſe poteſt. Frena mordere, jugum qvatere, iis, qvi res novas moliri cupiunt, ſe præbere Duces, inſurgere contra imperantes, non poſſe ferre æqvales, proprium eſt illorum hominum. Qvicqvid unqvam turbatum eſt in omnibus omnis ævi rebus publicis hoc ambitioni veſanorum hominum eſt imputandum. Qvæ omnia eleganter monet & deducit *Celeb. Dn. Budæus diſſ. de Concordia Religionis Chriſtianæ Statusque Civilis c.* 1. §. 10. Vanitatem ambitioſi bene depingit prælaudatus *Dn. Mell. d. tr. §.* 11.

De Avaritia.

§. IV. Avaritia deniqve nihil fœdius, &, abſurdiſſimum hominis avari temperamentum eſſe, omnes fere fatentur. Imo hac nihil pernicioſius eſt, ſive imperantium ſive civium animi ea ſint infecti. Avaritia inqvit *Salluſtius de bell. Catilin. C. X.* fidem, probitatem, cæterasqve artes bonas ſubvertit, pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere, edocuit. Avari hominis effigiem poſteritati ſiſtit *Chryſoſtomus, Salluſtio lib. 4. de Regno p.* 334 allegatus: in verbis, Nunquam videt, nunquam facilem ſe præbet, in omnes ſuſpicioſus eſt, improbos cunctos exiſtimat, omnibus diffidit, vultu rapaci præditus eſt, digitos perpetuo torqvet, aut ſuas aut alterius divitias numerat. Avari Principes exactionibus acerbiſſimis ſubjectos ſibi opibus exhauriunt, fortunisqve ita ſpoliatos & in extremam conjectos paupertatem, ad qvidvis audendum promtos atqve paratos reddunt. Nec hiſce tamen limitibus imperantium avaritia ſe circumſcribit. Ut enim modum non habet, ita fortunis privatorum

Digitized by Google

vatorum ſemper inhiat, easqve ad ſe, qvocunqve demum id fiat modo, pertrahere conatur. Maximum ſub horum Imperio crimen eſt, eſſe divitem. Hinc non una innocentes perdendi excogitatur via, mox clandeſtinæ illis ſtruuntur inſidiæ: & qvis omnes neqvitiæ enumeret modos? Ingenioſa enim admodum eſt avaritia, atqve ſolers, nec unam in promtu habet rationem in alios ſæviendi. Civibus exhauſtis, & commercia & opificia corruere neceſſe eſt. Hinc rerum omnium inopia, tandemqve pecuniæ qvoqve, ad magna negotia gerenda neceſſariæ, defectus, tum exterorum contemtus, ſæpius & bella ex contemtu, ſpeqve facile Rempubl. enervatam ſubigendi orta, & civium indignatio, cuivis potius, qvam avaro principi parere præoptantium. Præterea qvoqve ex civium avaritia multa in Rempubl. proficiſcuntur damna. Præterqvam enim qvod avaritiam ea comitentur vitia, qvæ vitæ ſociali & civium officio e diametro repugnant, difficiles erunt & moroſi, queruli etiam & præſentem rerum ſtatum ægre intuentes, ſemper meliora habentes in votis, & inviti demum multaque cum indignatione tributa & vectigalia perſolvent *Dn. Bud. d.d.* §. 11. Ne dicam, qvod nihil proprii habeamus. Qvicqvid enim tenemus, ex mera Dei gratia tenemus, meri ſaltem uſufructuarii ſumus, dominium in vitam & res omnes Deo T. O. M. competit. Nudi in mundum venimus, nudi inde diſcedimus: nullum, judice *Seneca*, bonum juvat habentem, niſi ad cujus amiſſionem animus præparatus ſit.

De Remediis contra hæc vitia, & de delictis carnalibus ex Jure.

§. V. Cæterum, qvomodo inordinatus iſtiusmodi amor, ex voluptate, ambitione & avaritia conglutinatus, temperari, coerceri & penitus extingui debeat, cautelis valde præclaris, & imitatione digniſſimis perſeqvitur illuſtris *Dn. Thomaſius in fundam. Jur. Nat. lib. 1. cap. 6.* Ipſa Jurisprudentia noſtra ſat valida depravato amori repagula ſtruit. Ad ejusmodi depravati amoris claſſes ſpectant Amor concubinarius, meretricius, adulterinus & inceſtuoſus. Multifarias

Digitized by Google

hujuſmodi delictis ſtatutas pœnas criminaliſtæ latius perſeqvuntur. Stuprator ſtupratam de Jure Divino vel ducere vel dotare tenetur *Exod.XXII.16.17. Deut.XXII.28.* De Jure Civili publicatione dimidiæ partis bonorum, vel relegatione §.4.*J.de Publ.Jud.* de Jure Canonico detruſione in monaſterium ad agendam pœnitentiam coercetur *C.2. X. de Adult. & Stupr.* Mores variant: ſtuprum violentum perfectum capite, imperfectum deportatione, plectitur *l.1. in f. ff. de Extr. Cogn.* Concubinatus de Jure Civili qvidem toleratus, non vero approbatus, punitur communiter ut ſtruprum. Meretricium amorem civiles leges impune qvidem permittunt, idqve ideo, qvo aliis honeſtis matronis libidinoſi, libidinem in proſtibula effundendo, parcant *arg. l.13.§.2.ff. ad L.Jud.de adult.* Sic *D.Auguſtinus lib.2.de Ord.* ſcribit: tolle meretricem & ſodomia totus efficietur reprobus. Et in *l.4.§.3.ff. de Condit. ob turp. cauſ.* Meretrix qvidem turpiter facit, qvod ſit meretrix, ſed non turpiter accipit, cum ſit meretrix. Verum iſtiusmodi cohabitatio maxime inhoneſta, verboqve divino contraria neqve in Chriſtiana, neqve in alia bene conſtituta Republ. ferenda *vid. Deut. XXIII.17. Levit. XIX.* 20. 1.*Cor.VI.13. & ſeqq. Gal.V. 1.Theſſal.IV.* 4. Qva ſeveritate amor tum adulterinus tum inceſtuoſus in legibus divinis & humanis coerceatur, non poteſt non notisſimum eſſe *conf. Deut. XXII.22. Lev. XVIII. l.30.§. 1. C. ad L. Jul. de adult. §. 4. Inſt. de Publ. Jud. Conſtit. Caroli V. art.* 120. Eſt eqvidem adulterium enorme peccatum, qvo in proprium corpus turpisſime peccatur, templum Spir.S. profanatur, ſanctisſimus conjugii ordo recta violatur, familiæ turbantur, thorus contaminatur, liberis fit injuria, honeſtas publica læditur, bona in extraneos dilapidantur, homicidium aliaqve plura crimina ſubinde proficiſcuntur: ſodomiæ autem tam nefandus tamqve beſtialis eſt coitus, interdum gladii, interdum ignis pœna coercendus, ut ſcire non proficiat, & nec calamum, nec chartas mereatur. *l.31. C. ad l. Jul. de Adult.*

§. VI.

Digitized by Google

§. VI. Contraria amoris ſunt livor, invidia, ira, rixa, ſævitia, vindicta, odium: qvod autem illi, qvi proximo inſidias ſtruunt, qvi eundem acerbis putidisqve calumniis convellunt, *conf. Sect.* 1. §. 4. Qvi ipſius conatus laudabiles impediunt, & infinitis modis, ſive clam ſive palam, hoſtiles ſuas paſſiones produnt, illibata amoris vincula perrumpant, nemo facile in dubium vocabit. Referri huc poſſunt, qvi in converſatione & vita qvotidiana joco & aculeatis dictis proximum communiter onerant aut ſuggillant, cum generoſi animi talium jocorum, tanqvam rei ſcurrilis, maxime ſint impatientes. Miſerum eſt, ſi miſera creatura, maximis imbecillitatibus obruta, ex inani vel gloria vel pruritu, alterius forte aut nævos aut defectus, qvi nos omnes premunt, taxat, vellicat; indicium hoc eſt vanisſimæ ſuperbiæ, &, qvæ hinc oritur, ſtultitiæ, ſtultus enim & Stoltz ſind von einem Holtz. Reddenda eſt ratio de qvolibet abſurdo & inutili verbo. Magna felicitatis & prudentiæ pars eſt, ſi imperfectionem virium noſtrarum noſcamus, &, qvantum adhuc diſcere, & in bono proficere debeamus, prudenter intelligamus. Qvantum eſt, qvod neſcimus; ſcientia noſtra exigua ſaltem particula eſt. Inde, qvi vana ſcientia turgent, eruditi maximi ſunt ſtulti. — De contrariis amoris.

§. VIII. Cum autem amor impurus, inhoneſtus & illicitus ſit vehemens furor, furor autem morbus dicatur *l.* 14. *in med. ff. de Offic. præſ. l.* 22. *§.* 7. *verſ. an autem ff. ſol. matr. l.* 2. *§.* 5. *in verb. qvi furore impeditur, valetudine impeditur ff. ſi qvis caut. in jud. ſiſt.* neceſſũ eſt, ut deſperato huic morbo debita afferantur remedia. Iſtiusmodi autem illicitum amorem curæ, negotia & labores, invocato divino nomine & numine ſuſcepti, auferent, deterent, convellent. Otium pulvinar ſatanæ. Qvis videt intentos rebus, amore trahi? In ſudore vultus tui veſceris pane tuo *Gen. III.* 19. & vita hominis vera eſt, & felix, laborare: merces enim felicitatis acqviritur per laborem virtutis, & juſtum eſt, ut ibi qvis conſeqvatur ſtipendium, ubi — De Medicina contra illicitum amorem.

laboris

Digitized by Google

laboris impendit obſequium *c. charitatem in f. 12. qu. 2.* Otioſitas enim & voluptas arma ſunt hoſtis antiqui, ad miſeras animas captivandas, ut dicitur in *c.* 10. §. *Verum X. de renunc.* Qvamobrem, cum cunctorum malorum principium ſit otioſitas, & ſcelerum viperina origo, ut fuſe & pulchre id demonſtrat *c. 33. d. conſ. diſt. 5.* ubi etiam dicitur in deſideriis (libidine) eſſe omnem otioſum: ideoque ii, quibus demandata eſt Reip. cura ſumopere otioſos caſtigare, & emendare conari debent, ut intercipiant eo remedio proximum ad ſcelera gradum *vid. tit. C. de mend. valid. l.* 11. *Nov.* 80. *c.* 4. *& ſeqq* ubi ignavia legibus notatur *add. l. 26. C. de decur. l. 52. §. pen. C. de epiſc. & cler. Nov. 133. c. 6.* ubi mens otio vacans nihil bonorum parit. Subtrahendum eſt ſuccreſcentibus vitiis pabulum. Conſideranda eſt magnitudo periculorum, inde provenientium: principiis obſta, ſero medicina paratur: melius eſt intacta jura ſervari, qvam poſt vulneratam cauſam remedium qværere. Sapientis enim eſt, non tantum præſentibus malis mederi, ſed etiam futuris occurrere. Paucis, fortiſſimum reprimendi vitia remedium in aureo iſto, *Ora & labora*, conſiſtit.

De Inimicis cum Epilogo.

§. IX. Poſtquam vero ob tantam, quæ genus humanum occupat, malitiam nemo facile absqve inimicis vivat, prudentiæ regula poſtulat, ut inimicorum ſuorum conſilia, fraudes & violentiam vincat. Fiet autem hoc, ſi inimicos benefactis vincere, & ita confundere ſtudebit, ita torquebit eos, ſentient enim inimici, ſi benefacere continuet, nec ipſorũ gratia iraſcatur, quod eos contemnat. Aſt nobiliſſimum vindictæ genus eſt contemnere mala, qvibus inimici nos afficere voluerunt, & nunquam de iis conqveri, nulla enim nobilior vindicta eſt, qvam contemnere injurias & benefacere. *Conſ. Ill. Dn. Thom. Prud. Conſult cap. 4.* Plura qvidem, & infinita adhuc capita, ad hanc nobiliſſimam præſtabilemqve materiam ſpectantia, reſtarent, ſed, ne limites diſſertationis cujusdam academicæ excedamus, claudimus hic rivos, & nos noſtrasqve actiones DEO, velut fonti amoris, commendamus.

Digitized by Google